

thodoxiam convertat: nam, licet hic in *orthodoxiam.*
 aliud prorsus extremum ruere videatur
 Cartesius, reapse tamen plane idem sta-
 tuere potest, & ipse Spinoza id docere
 non renueret. Ponamus enim essentiam
 divinam ad quosvis modos recipiendos in-
 differentem, eo ipso statuimus, omnem
 rationem veri & boni ab ejus voluntate
 pendere; quia voluntas cum intellectu &
 operatione prorsus idem est. Ejusmodi
 igitur subterfugiendi artes nihil ad rem
 faciunt, ubi ex ipsis principiis & funda-
 mentis penitus aliud quid necessario se-
 quitur. Demonstravi itaque, & alteram
 columnam, qua nituntur Spinozæ erro-
 res, a Cartesio esse fundatam, meam-
 que, ni fallor, demonstrationem fatis ab
 exceptionibus Viri Cl. vindicavi: con-
 cludo, ex dictis fatis superque patere,
 Cartesium Deum agens aliquod necessa-
 rium habuisse. Q. E. D.

Caput VIII.

SUMMARIUM.

*Consensus inter Cartesium & Spino-
 zam etiam probatur e quibusdam*
 M 2 *dog-*